

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE
VSV VENÆSECTIONIS
IN PEDE INSTITVENDÆ,

QVAM
AVSPICHS DIVINI NVMINIS

CONSENSV
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ

IN ALMA ET PERANTIQVA HIERANA,

SVB PRÆSIDIO

DN. D. IVONIS JOANNIS STAHL,

EMINENTISS. ELECT. MOGUNT. CONSIL. ET ARCHIAT. ANATOM. CHIRURG.
ET BOTAN. PROFESS. PUBL. FAC. MED. ASSESS. ORDIN. CIVIT. ERFORD.
CONSULIS ET PHTSICI,

PATRONI ET PROMOTORIS SVI ÆTERNVM
DEVENERANDI,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS
ET IMMVNITATIBVS

LEGITIME IMPETRANDIS,
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBJICIT

AVCTOR ET RESPONDENS

JEREMIAS SCHNEIDER,

LISSA-POLONVS.

HORIS CONSUVETIS IN AVDITORIO MAJORI
COLLEGII MAJORIS

DIE XXVII. NOVEMBRIS, M DCC XLIII.

ERFORDIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGH, Acad. Typogr.



DISSERTATIO IN AUCTORITATE MEDICAE

VSV VERNACULAE
IN PIDE INSTITVENDAE

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

DN. D. IVONIS JOHANNIS STALLI

PRO GRADU DOCTORIS

JEREMIAS SCHNEIDER

HABITUS CONSULTI IN ACADEMIA MAIORI

ERRATA

Typo JOH. CHRISTOPH. HEMMICH, Acad. Typogr.



V I R O
P E R I L L V S T R I A C G E N E
R O S I S S I M O
D O M I N O
I G N A T I O
L I B E R O B A R O N I
D E K O T T V L I N S K Y ,
H Æ R E D I T A R I O I N Z I E B O R N ,

P A T R O N O S V O
O M N I Q V A P A R E S T
H O N O R I S E T O B S E Q V I I C V L T V
M A X I M E S V S P I C I E N D O ,

DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM
DEVOTISSIMÆ MENTIS
PRO TOT BENEFICIIS EXHIBITIS
TESSERAM

QVA DECET OBSERVANTIA

D. D. D.

TANTI NOMINIS

Cultor devotissimus

JEREMIAS SCHNEIDER.



§. I.



hirurgiam vetustissimis jam jam temporibus exultam maximoque in usu fuisse, neminem sane fugit, qui vel levissimam Historiæ Medicinæ cognitionem habet.

De operationibus Chirurgicis in genere.

Extant enim jam de ea HIPPOCRATIS, a) GALENI b) & ÆGINETÆ c) Opera; quorum in classẽ non immerito quoque referendus est CELSVS, d) de quo MINADOVS e), variæ eruditionis Medicus, tale fert judicium: CELSVM f), inquit, maxime esse Medicum, ejus Chirurgica probant. Sed & alii in hac scientia non minorem merentur laudem Veteres Medici. g). Non minus quoque huic arti exercendæ multam adhibuerunt operam recentiores, h) eidemque maximam accenderunt lucem, tanquam arti, quæ a Medico, officio suo satisfacturo, necessario requiritur. Negandum enim non est, quod Medicus, theoria & praxi instructus, non de internorum tantum, sed externorum etiam morborum curatione rationem reddere debeat. Cum ergo corpus nostrum

ex partibus solidis atque fluidis sit compositum, sæpissimeque hæ ultimæ, nempe fluidæ, peccent vel quantitate, vel qualitate, utique tunc necesse est, ut etiam externe corpori succurratur, quantitatem illam peccantem imminuendo, siquidem hoc factò itidem quoque qualitas tanto facilius in meliorem redigitur statum. Pro hoc autem scopo obtinendo inprimis *Venæsectio* in certis quibusdam circumstantiis est instituenda & commendanda, quæ modo in brachio, modo in pede necessaria est, & peculiarem considerationem meretur, ut idcirco etiam ultimam harum specialiori indagationi subijcere, ejusque utilitatem in Dissertatione hac inaugurali paulo exactius demonstrare mecum constituerim.

- a) Chirurgia græce & latine cum Commentariis MAMALDI 8. Parisiis 1619. itemque HIPPOCRATIS Aphorismi Chirurgici cum Comment. BERNH. GENGÆ 8. Romæ 1694. b) Tr. de Fasciis cum fig. fol. Tigur. 1555. in Gesneri Scriptoribus chirurgicis optimis. c) Hujus Opera in fol. Basil. græce 1538. & latine 1556. prodierunt Lugd. Batav. d) in Aurelii Cornelii CELSI vita a Joanne RHODIO Jenæ edita 1713. e) De ext. aff. libr. 2. cap. 3. f) loco citato. g) Inprimis huc referri possunt Guido CAVLICVS, Hieronymus FABRICIVS ab AQUAPENDENTE, PARÆVS, &c. h) Hos inter præcipue eminent Celeberr. HEISTERVS, qui edidit Institutiones chirurgicæ Amstel. 1739. Bernhardi ALBINI Dissertationes chirurgicæ & RVISCHII Observationes anatomico-chirurgicæ.

§. II.

Definitio. Est autem VENÆSECTIO, seu missio sanguinis, operatio chirurgica, cujus ope ex aliqua vena, cum Phlebotomo ancipiti, vulgo Lanceola, vel bacillo ferreo, k) vel ferramento, elatere & trochlea instructo, l) inci-

incisa, tantum sanguinis, quantum ad sanitatem hominis restituendam, vel conservandam, ex judicio Medici necessarium esse videtur, emittitur.

k) Germani appellant *eine Fliete, ein Lats-Eisen*. l) In vernacula dicitur *ein Schnöpper*.

§. III.

Operationem hanc esse vetustissimam, & antiquissimam jam jam Medicos eandem in morbis curandis in usum vocasse, abunde jam constat. Nam ex HIPPOCRATE, CELSO m), aliisque Chirurgicis scriptoribus patet, Venæsectionem jam temporibus illorum, & ante illa in usu fuisse. Est etiã re vera facillima iis, qui artem chirurgicam debite callent, difficilior autem illis, qui hanc ignorant, siquidem inter Anatomicos factis superque constat, quod venæ, arteriæ, nervi, atque tendines, arctissimam inter se connexionem habeant, adeoque facillime lædi possint, unde maxime necessarium est, ut ejusmodi operationem aggressurus, oculorum acie & firmitate manuum, simulque facilitate manus dextræ ac sinistræ polleat. Sunt equidem n), qui hanc operationem pro inutili, illicita & plane noxia declarant, sed absque sufficiente ratione, cum experientia diu jam jam monstraverit & confirmaverit insignem ejus tam utilitatem, quam necessitatem, dummodo provide & debitis sub circumstantiis illa commendetur & instituat.

Venæsectio antiquissima & utilissima est operatio.

m) Tr. de re medic. libr. II. cap. 10. pag. 87. sqq. n) In hanc classem referri in primis possunt PARACELSVS, HELMONTIVS, ERASISTRATVS, CARTESIVS, alique.

§. IV.

Præ omnibus autem aliis inquirendum nunc est, *Venæsectio- nis instru- menta.*



qualia sint adhibenda, ad operationem hanc perficiendam, instrumenta. In definitione quidem §. II. eorum jam jam obiter facta fuit mentio; nunc vero inquirendum est, quænam ex his optime convenient, reliquisque sint præferenda. Antiquiores Chirurghi usum traxerunt phlebotomum Germanorum, o) quale instrumentum hodiernum adhuc fabri ferrarii pro equorum venis incidendis adhibere solent. Alii fagitarium phlebotomum p) sibi elegerunt, qui autem diu jam in desuetudinem abiit. Hodierni denique Chirurghi ancipiti phlebotomo, quem vulgo Lanceolam vocant, utuntur, itemque alio quodam elastico phlebotomo, quæ instrumenta etiam in applicatione aliis jam nominatis palmam præripiunt, quoniam propter diversum venarum situm aptiora sunt, iisdemque proximius applicari possunt. De reliquo omnem adhibere debet prudentiam Chirurgus, ne inconsiderate vel timide cum hisce instrumentis agat, & vulnuscule mox patentiori, vel angustiori, partibus, quarum venæ secari debent, inflicto, simul adjacentes partes (§. III.) lædat, eoque ipso majus periculum inducat.

o) Hujus instrumenti delineatio extat in Celeberr. HEISTERI Chirurgia Tab. XI. fig. 3. p) Descriptionem ejus tradit CRONIVS in libello de Venæsectione, pag. 33.

§. V.

*Qua ratione
instituitur.*

PRO meliori autem hujus operationis successu obtinendo, a Chirurgo præter modo dicta adhuc alia sunt observanda, & quidem ante & post Venæsectionem, de quibus Celeberr. HEISTERVS q) ex instituto egit. Præcipua autem momenta in eo consistunt, ut rationem habeat vulnorum incidendorum, siquidem si vena ma-

major, vulnus rectum, si minor, infligitur vulnus obliquum, quo ejus oræ melius diducantur, & facilius sanguis ex incisione effluat.

q) In *Institutionibus Chirurg.* pag. 408. & 409.

§. VI.

Nequaquam tamen omni tempore exoptatum nobis promittere possumus eventum hujus operationis. Corporis enim constitutio in singulis subjectis non semper una eademque esse solet, sed aliquando maxime variat. Dantur nimirum subjecta, in quibus partes solidæ firmiores sunt, quæ è contrario in aliis teneriores sunt, & ubi dein venarum omnium textura hisce partibus simillima est, ita ut in robustis grandes, manifestæ atque expansæ, in debilioribus vero minutæ, vel admodum reconditæ & profundè positæ sint, sicque ab expertissimis etiam Chirurgis non sine periculo incidi possint, quale quid imprimis evenit in obesis corporibus r), in quibus venæ & arteriæ a pinguedine undique obteguntur & quasi obliterantur. Quando ergo tali modo oculis Chirurghi sese subducunt venæ, tunc facile partes adjacentes, e. g. tendines, nervi, læduntur, indeque exquisitissimi dolores, imo & convulsiones, inflammationes, gangræna ipsa, & sphacelus producuntur.

Venesectio magna cum difficultate sæpe instituitur.

r) vid. *Dissertat. inaugural. D. D. POHLII, de Obesit. & Voracitat. ventit. 1734.*

§. VII.

Negandum non est, quod ex infelici administratione Venæssectionis complura emergere possint damna. Exempli loco esse potest ecchymosis, vel sanguinis inter venas, carnem atque cutem effusio, cujus varii occurrunt

Incommoda à Venæssectione metuentenda.

B



runt gradus, siquidem partes circumjacentes non solum moleste tunc afficiuntur, sed & naturalis illarum color diversimode mutatur, ut modo niger, vel lividus, modo cœruleus adpareat, supervenientibus simul vehementioribus doloribus, insigni tumore, inflammatione, suppuratione, imo non raro etiam gangræna & sphacelo. In culpa est interdum Chirurgus, quando improvide agit, venamque præcidit, vel etiam ille, cui secta est vena, si nimis exercitationibus partem talem inconsiderate & vehementius commovet, hacque ratione occasionem præbet, ut sanguis, ex vulnere de novo egrediens, inter carnem & cutem propellatur ibidemque restagnet.

§. VIII.

In quibus partibus venæ sectio sit instituenda.

Proinde etiam quæstio ordinariè movetur ab iis, quibus Venæsectio commendatur, ubinam, seu in quibus partibus illa sit instituenda? Suscipi enim potest in fronte, circa tempora, collum, linguam, manuum digitos, itemque in brachio & pede, selectus vero harum partium relinquatur arbitrio Medici, qui pro diversitate scopi hunc vel illum locum aptiorem fore judicat, prout nimirum vel simpliciter depletorium, vel derivatorium, vel etiam revulsorium intendit effectum, qui pro circumstantiarum diversitate utique etiam requirit, ut diversarum quoque partium ratio habeatur.

§. IX.

*Quale judicium sit ferendum de venæ sectio-
ne in fronte.*

Rarior quidem est sectio venarum frontaliū, requiritur tamen in illis casibus, ubi sanguis propter impetum majorem versus certa quædam loca ex hac regione evacuandus est, siquidem, uti ex anatomicis constat, hæc vena proxime juncta est venis temporum, facile-

facileque in conspectum prodit, id quod adhuc magis evenit, si collum strophilo aut collari moderate stringat. Emissio sanguine, vulnus digito comprimitur, simulque fascia mediocris latitudinis capiti applicatur. Hæc venæsectio in Vertigine, Mania, Melancholia, Deliriis, & gravioribus capitis doloribus commendatur, multisque extollitur laudibus.

§. X.

Prostat etiam vena inter nasum canthumque majorem oculi, quæ ramificationes suas huic organo & partibus circa frontem largitur, ac deinde ad jugularem externam descendit. Hanc ergo venam complures Medici, & inter hos præcipue DION in Chirurg. sua, p. 494. incidi posse autumant, in gravioribus oculorum morbis, inprimis inflammatoriis. Ob subtilitatem vero suam & profundiorē situm, ligatura quædam circa collum prius applicanda est. Talem sanguinis ex oculo missionem instituisse quoque jam olim Veteres Medicos, ex illorum scriptis satis constat: Quando enim tunica albuginea & sclerotica a sanguine copiosius affluente in inflammationibus turgescunt, magisque rubent, & medicamenta interne & externe adhibita nullum plane præstant effectum, tunc egregie conducit hæc operatio, inprimis si maculæ simul apparent rubicundæ in tunica cornea. Subjungenda autem dein sunt remedia discutientia & resolventia, in forma sacculorum siccorum, nec non fomenta calida, ex similibus speciebus & conjunctis simul lenioribus tonicis parata.

Quid de Venæsectione in cantho oculi & oculo ipso servandum sit?

§. XI.

Non minorem meretur laudem incisio venarum raninarum sub lingua, quæ olim magis fuit in usu, quam

De venæsectione sub lingua.

quam nostris hisce temporibus. Insignis autem omnino efficaciam est hæc operatio in Angina & aliis colli inflammationibus, dummodo vel in brachio, vel in pede antea semel iterumque præmissa fuerit venæsectio derivatoria, aut revulsoria. Ut vero melius succedat talis operatio, collum prius fascia stringitur, venarumque harum major intumescencia promovetur. Peracta illa, & relaxata strictura, sanguis in quibusdam sponte subsistit; quando autem impetuosius profluere continuat, tunc vel pauxillum aceti intra os detinetur, vel vulnere frustulum vitrioli, aut alumnis applicatur. In eo tamen omnes fere consentiunt Autores, quod major potius, quam minor sanguinis quantitas sub his circumstantiis sit emittenda.

§. XII.

Qualis ferenda sit sententia de sectione venæ jugularis?

Quidam Medicorum recentiorum eximie quoque commendant venarum jugularium sectionem, tam in dextro, quam sinistro latere, ita tamen, ut semper in eadem regione instituatur, quam in capite morbus aliquis occupavit. Tunc vero collum infimum strophilo quodam paulo firmitus, quam alio tempore fieri solet, constringitur, ut venæ externæ intumescant. s) Peracta operatione spleniola cum fascia circulari & collari collo applicantur. Utilitatem præstat maximam hæc operatio in Phrenitide, Mania, Melancholia, oculorum inflammationibus, Angina, Cephalæa, &c. si pariter antea præmissa fuerit derivatoria, aut revulsoria Venæsectio.

s) Celeberr. HEISTERVS in Annotationibus ad Chirurgiam suam mentionem mulieris cujusdam fecit, cui ob vehementissimam Ophthalmiam incisionem talem suavit; ait

aut nulla harum venarum, ligato licet collo, in conspectum prodit.

§. XIII.

In omnibus fere operationibus chirurgicis non sine ratione commendantur Venæsectiones vel præmittendæ, vel subjungendæ, paucioribus saltem casibus exceptis. Hinc etiam in labii leporini operatione quam maxime eandem commendat GARENGEOT t), his verbis: *Ut agro prius sanguis aliquoties mittatur, etiamsi illa plerumque suscipiatur & instituat in infantibus.* In nostris autem regionibus, tam propter teneriorem partium structuram, quam ob debilitatem infantum, nunquam fere admittitur aut instituitur venæsectio, utpote quam in iisdem magis noxiam, quam salutarem fore judicamus.

Venæsectio in labii leporini operatione recusat.

t) In Operationibus chirurgicis, & quidem in *cap. de Lab. leporinis.*

§. XIV.

Quando Venæsectio commendatur in brachio, tunc vulgus potissimum quæstionem movet, an cephalica, vel basilica, vel mediana sit incidenda? Plerumque vero nodum in scirpo quærunt, quoniam talis operatio vel propter evacuationem, vel derivationem suscipitur, adeoque perinde est, qualis ex hisce venis incidatur. Magis tamen eligenda esse videtur vena mediana, quia in omnibus fere subjectis melius in conspectum venire solet, quam reliquæ. Cavendum autem est à Chirurgo, ne tendo muscoli bicipitis, ejusque aponevrosi forsan scalpello lædatur. In manu occurrunt venæ exiliores, sique ex his quædam sit eligenda, erit salvatella, quæ per metacarpum ad minimum usque descendit digitum, præcipue ex hac vena in

In brachio sæpissime suscipitur Venæsectio.



obes subjectis interdum sanguis facilius, quam ex brachio effluat.

§. XV.

In pede venæsectionis est saluberrima.

Omniſibus autem reliquis Venæſectionum ſpeciebus palmam facile præripit illa, quæ in pede ſuſcipitur, quoniam, uti ex Anatomicis conſtat, in his partibus vaſorum exiſtit nexus opportunus. Confert autem inprimis in hoc operatione, ſi membra inferiora prius calidis ſoventur, id eſt, aqua tepida, ſic enim melius in conſpectum prodeunt venæ, magisque inturgescunt. Ligaturæ autem fere nullius ſunt uſus, quoniam plerumque chorda quidem Achillis & tibia, non vero venæ tunc temporis conſtringuntur. Ipſa vero hæc operatio, pro obtinenda revulſione ſanguinis a ſuperioribus partibus verſus inferiora, efficaciffima eſt, & idcirco à Veteribus jam jam Medicis in variis capitibus & pectoris morbis maxima ſemper cum utilitate egregioque cum effectu commendata fuit.

§. XVI.

Inprimis in Hæmorrhagiis narium nimis.

Huic ſententiæ inter alios etiam *Illustr. b. m. STAHLIUS* u) adſtipulatur, dum ſic ſcribit: *Quoniam adhuc occupati ſumus in experientiæ allegatione, placet commendare circumſpectæ præctiæ obſervationi illud circa efficaciam Venæſectionis monitum, quod ſenſibiliter certior ſit & evidentior effectus Venæſectionis in pede, ad ſublevanda varia pathemata in reliquo corpore, inprimis etiam in ſuperioribus, ad redundantias quaſlibet ſanguinis circa & verſus inferiora, eadem promptitudine & efficacia mitigandas. Maximam igitur utilitatem à tali venæſectione inprimis expectare licet in hæmorrhagiis narium impetuoſioribus & nimis, quæ quidem etiam quadantenus per venæſectionem*

tionem evacuatoriam, aut derivatoriam mitigati possunt, sed nunquam adeo efficaciter, quam quidem per revulsoriam. In brachio enim præcipue locum habet venæsectio derivatoria, quæ motus humorum magis versus superiora invitatur, cum tamen magis ad inferiora promovendus sit. Deinde etiam sanguinis quantitas quidem Venæsectione in brachio imminuitur, hacque ratione hæmorrhagiæ narium quoque sistitur, sed non nisi ad certum aliquod tempus, siquidem data occasione, & imprimis accumulata de novo sanguinis copia, exitum iterum quærit in partibus superioribus sanguis, sæpiusque impetuosior excretio succedit. Si vero hoc non contingit, tamen irritus sequitur motus versus caput, cum variis molestiis hæmorrhagicis. Præterea in omnibus hæmorrhagiis partium superiorum vasa sanguifera illarum nimium expanduntur, ea vero, quæ in partibus inferioribus occurrunt, magis constringuntur, sicque sanguinis motus progressivus irregularis redditur; hac autem venæsectione in hisce partibus instituta, & conjuncta simul calida pedum fomentatione, strictura talis relaxatur, motusque humorum æqualis, facta tali nova revulsione versus pedes, optime restituitur.

u) In Disputatione de Venæsectione in pede, §. 29. pag. 17.

§. XVII.

Non minoris etiam utilitatis est Venæsectio hæc in Gravidis, tam ante medium gestationis tempus, quam proxime ante partum instituta. Licet enim priore illo tempore complures eandem reformident Medici neoterici,

Porro in Gravidis & parturientibus.

terici, intrepide tamen commendari potest; scopo imprimis derivatorio, ad mitiganda & præoccupanda varia incommoda tunc circa superiores partes evenientia, imprimis autem vomitum illum, gravidis perquam molestum, tollendum, qualem effectum etiam ultimis præcipue temporibus, imo & in ipsis parturientibus præstat, ubi deficientes forsitan dolores ad partum excitat, illumque sic quadantenus adjuvat, imprimis vero etiam legitimum successum lochiorum promovet, adeoque multa omnino emolumenta hisce subjectis adfert, dummodo nulla adfuerit dispositio ad abortum, utpote quo in casu revulsorio scopo in brachio instituta magis proderit.

§. XVIII.

*In aliis periculosis
riculosioribus hæmorrhagiis.*

Hæmorrhagias periculosissimas, mortem minantes, quales exempli loco esse solent Hæmoptysis, & Vomitus cruentus, ne prorsus lethalem sortiantur eventum, secure quoque sistere valemus per venæsectionem revulsoriam in pede institutam, quæ omnibus aliis remediis merito præferenda est, illaque efficaciam suam exsuperat, imprimis autem improvide adhibita adstringentia, quibus sanguis jam extravasatus in prædictis visceribus coagulatur, sicque ulcerosæ & putridæ corruptioni occasio suppeditatur, quæ facile dein quoque in adjacentes partes extenditur. Singula vero hæc confectaria fontica, itemque novi talium hæmorrhagiarum insultus, optime etiam præcaveri possunt repetita & præservatorio scopo tempestive instituta tali venæsectione.

§. XIX.

*Post menstruum
cessationem, & in*

Fœminæ ordinariæ post quinquagesimum annum non amplius consuetas excretiones menstruas experiuntur.

periuntur, quoniam hoc tempore in iisdem insignis partium solidarum observatur mutatio, utpote quæ successively rigidiores, & ad reactionem ineptiores evadunt, quam quidem in succulentioribus, aut junioribus; fluidæ vero partes similiter tunc aliam induunt crasin, dum nimirum mucidæ & terrestres copiosius accumuluntur, & consuetæ se- & excretiones magis imminuuntur, unde facile dein impetuosiores sanguinis ventilationes ex turbato ejus progressu & restagnatione versus uterum oriuntur, quæ non rarò in hæmorrhagias sic dictas uterinas desinunt, ubi pariter plus omnino utilitatis expectare licet à venæsectione in pede instituta, quam ab omnibus aliis interne exhibitis medicamentis. Quando autem circumstantiæ quædam forsitan prohibent, quo minus illa in pede institui queat, atque idcirco forsitan in brachio administratur, tunc citius plerumque malum hoc recrudescit, majorique cum impetu sanguis dein erumpit, adeoque luculenter exinde apparet, quod in uteri hæmorrhagiis melior omnino effectus sperandus sit à venæsectione in pede instituta, quoniam illa menstrui fluxus vices gerit, adeoque derivationem facilius, quam revulsionem versus superiora admittit. Multi quidem commendant medicamenta tonica & adstringentia, quæ motum nimium cohibent; securius autem talia, cujuscunque etiam sint generis, omittuntur, ne sanguinis circulatio turberetur, & stases atque obstructions suspectæ inducantur, quibus facile gravissimi superveniunt motus spastici, lethalem tandem exitum post se trahentes.

hæmorrhagiis uteri tunc obortentibus.

§. XX.

Pariter quoque præter jugulares externas in Angina, Phrenitide & Ophthalmia quandoque secandas, nec

In affectibus inflammatoriis.

C

nec

nec non in mensum & hæmorrhoidum obstructionibus, non sine ratione Venæsectio in pede instituenda commendatur, & in prioribus casibus ordinarie, tanquam universalis, præmittitur. Eligunt autem tunc communiter Chirurgramum aliquem majorem saphænæ, ad pollicem, seu majorem digitum pedis excurrentis, ut exinde sufficientem sanguinis quantitatem, pro obtinenda notabiliori revulsione, detrahere queant, alias enim, si minor illa fuerit, præcipue in affectibus inflammatoriis, plus damni, quam utilitatis adferunt, febremque conjunctam secundariam tanto magis exacerbant.

§. XXI.

*Generalis
Venæsectio-
nis utilitas.*

Plethoricis propter abundantiam sanguinis, imprimis, si insimul dyscrasia quædam concurret, & particulæ heterogenæ copiosius immixtæ sunt huic humori, egregie conducit sanguinis missio, & quidem tam ad inflammatorios, quam etiam ad quoslibet impetuosiores organicos, oppletorios, aliosque ab irregulari sanguinis commotione dependentes affectus, præcavendos aut tollendos, adeo, ut idcirco nullum fere morbum esse, in quo non sanguinis detractio per venas fieri possit, vel debeat, suo jam tempore adseruerit CELSVS x). Probe tamen semper considerandæ venienti subjectorum, quibus venæsectio commendatur, externæ etiam conditiones, constitutio nempe corporis, ætas, vires, temperamentum, aliaque, ut etiam harum intuitu prudenter suscipiatur. Sicuti enim maxima observatur differentia inter corpus robustum & obesum, interque tenerum & infirmum; ita quoque experientia monstrat, quod sæpissime major sanguinis copia præsto fit in tenerioribus, quam in obetis & sic dictis athleticis corporibus, utpote in quibus caro & pin-

pinguedo magis abundare solent, quoniam partibus illorum solidis copiosius agglutinantur pinguiore & oleosæ, sicque sanguini ratione ordinariorum suarum particularum major pars detrahitur, id quod in imbecillioribus & macilentis non æque ita evenit. In statu præternaturali maximum adfert emolumentum Venæsectio, ad separandam & removendam materiam peccantem morbificam, quæ ordinarie partibus solidis vel fluidis inhæret, dum nempe harum motus sic liberior, aut tardior redditur, in illis autem, remota nimia sanguinis quantitate, debita elasticitas restituitur, motusque tonicus in naturalem suum gradum restituitur, ut dein actiones & reactiones utrarumque tanto melius succedant. Proinde etiam signa quædam currunt in partibus exterioribus, quæ sanguinis immuntionem necessariam fore indicant, dum nempe venæ intumescunt, habitus corporis turgidulus redditur, partes ipsæ sensu quodam molesto gravativo afficiuntur, variaque alia incommoda emergunt. Emissio autem suo tempore sanguine liberior redditur influxus fluidi nervei, ac singulorum corporis nostri humorum præparationes & secretiones promoventur, nec non partes nobiliores ab infarctu copiosioris ad easdem affluentis sanguinis liberantur, ut vitales dein actiones ab iisdem perpetrandæ eo liberius succedere queant. Proinde etiam probe observandum est tempus congruum, quando in statu præternaturali admitti & concedi potest venæsectio, estque hoc ordinarie tempus principii, imo sæpissime principium principii, præcipue in febribus ardentibus, inflammatoriis, continentibus, aliisque morbis acutis, nullas fere inducias concedentibus, ne nimirum materia peccans altiores agat

radices in visceribus, aut per massam sanguinis undique diffundatur, adeoque necesse dein sit, ut alia profus ratione, quam per Venæsectionem, removeatur. Peracta tali venæsectione, sive illa curatorio, sive etiam præservatorio scopo suscepta fuerit, insimul quoque de emissio sanguine iudicium ferunt Medici, an nimirum partes laudabiles, vel noxiæ massæ sanguinæ immixtæ sint, eumque in finem potissimum respiciunt ad colorem, an nimirum rubicundus, an vero niger ille sit; rubicundus enim conquassationem & attenuationem sufficientem, niger autem tardiores progressum, & deficientem resolutionem necessariam indicat, id quod etiam de ejusdem tenuitate, aut spissitudine majori similiter valet. Hæ autem circumstantiæ statim post emissionem sanguinis, quando sufficiens ejusdem facta est coagulatio, observandæ & indagandæ sunt, quoniam, si diutius antea liberi expositus fuerit aëri, facile ab eo tam in consistentia, quam colore, alteratur, & inprimis à frigidiori aëre magis condensatur, à calidiori autem plus resolvitur, ut certum tunc de ejus consistentia haud ferri queat iudicium. Quod tandem quantitatem emittendi sanguinis attinet, per se jam notum est, quod in illa determinanda pariter respectus habendus sit conditionis subsectorum, tam sanorum, quam ægrotantium, ratione ætatis, virium, habitus corporis, aliarumque circumstantiarum, quas prius probe ponderare solet prudens Medicus, illarumque intuitu dein majorem aut minorem talem ventilationem cum certiori salutari effectu suscipere valet. Plura quidem addenda adhuc fuissent, pro exactiori hujus argumenti enodatione, inprimis etiam ratione contraindicantium Venæsectionis; cum vero temporis angustia id ipsum haud permittat, insuperque ex hæctenus prolatis sufficienter jam pateat, ubi omittenda, aut dissuadenda illa sit, hinc vela nunc contraho, Deoque T. O. M. pro præstito huc usque auxilio grates simul devotissimas persolvo.

x) In capite X. Libr. I. de re med.

T A N T V M.

01 A 6543


ULB Halle 3
002 931 672




Sb.

VOIKRA 12







INAUGVRALIS MEDICA

DE
NÆSECTIONIS
INSTITVENDÆ,

QVAM
IS DIVINI NVMINIS
CONSENSV
ACVLTATIS MEDICÆ

PERANTIQVA HIERANA,
B PRÆSIDIO
IS JOANNIS STAHL,
T. CONSIL. ET ARCHIAT. ANATOM. CHIRURG.
FAC. MED. ASSESS. ORDIN. CIVIT. ERFORD.
CONSULIS ET PHTSICI,
ROMOTORIS SVI ÆTERNVM
EVENERANDI,

ADV DOCTORIS
RTE SALVTARI HONORIBVS
AMVNITATIBVS
IME IMPETRANDIS,
DITORVM EXAMINI SVBJICIT
OR ET RESPONDENS
AS SCHNEIDER,
ISSA. POLONVS.

TIS IN AVDITORIO MAJORI
LEGII MAJORIS
NOVEMBRIS, M DCC XLIII.

RFORDIÆ,
STOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

